

Vnde etiam post tot gestarum pondera rerum
Huius adhuc studij laudem habet ille sui.
Tu quoq; cognati dum scrutans lumina caeli
Peruigil ingenio subiicis illa tuo.
O dulcis patrie LEOVICI nobile sydus
Eximiumq; decus, conspicuumq; iubar:
Ingressusq; domos superas, uelut ipse Prometheus
Inde ad nos uite commoda multa legis:
Atq; ea nota facis multis mortalibus agris
Aerumnas quorum parte aliquaq; leuas:
Non laudis tantum modicae triuiale mereris
Munus apud Reges imperijq; Patres,
Quin doctos etiam, quibus hac ratione placere
Laus perfectior est & peritura minus:
Istud at imprimis quoq;, ut inter lucida caeli
Signa & tu nitescas numen in orbe nouum.
Ut nitet Arctophylax, Perseus & doctor Achilles
Philyrides Chiron, quin & Atlantiadest
Et fulgebit ibi meus olim Diuus Achilles,
Pirmynius meus & Gassarus ille tuus:
Vestrae ornamentum scilicet uelut urbis, ita orbis
Quae Lycus, Ister, Hylet, Rhenus et Oenus amant.
Ut fulgent, quorum motus noctesq; diesq;
Observans, supera totus in arce sedes.

De felicibus his animabus nobilis una
Quae sua cum Diuis gaudia semper habent.
Dij faciant, ut sis scilicet & ubiq; beatus,
Qui uite nobis commoda tanta perat.
Qui ruituri orbis pulchre mysteria prodens
Mortales animos dextera multa mones:
Scilicet irarum memores ut numinis, ipsum
Placemus uera religione Deum:
Et leti aethereas capita attollamus in arces
Vnde ad nos ueniet Rex nouus ille breui.
Qui fractis Mundi imperijs regnisq; superbis
Deletis, totum franget & istud opus:
Terrarum hanc omnem cum caeli tegmine molem,
Asseret auspicijs & meliora nouis.
Delicijs quibus ut caeli nos gratia seruet,
Pulchra Venus, Christus gratia amorq; patris:
Qui nobis caelos qui conciliauit Olympum
Factorem rerum mirificamq; Deum:
Imploremus eum, facilis namq; omnibus his est
Ipse, quibus cura se uidet esse: Vale.

Pectendorphi supra Ratis
bonam octaua Octobrium
anni 1556.